



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Non juuari quosdam in morbis, vlla ope, vt probentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

CAPVT XLII.

Vigesima secunda morborum caussa, ut probentur homines, diligantne DEVM, an ad remedia illicita confugiant?

I.

Deuter. 13. 1.

Prouidè simul & paternè olim DEVS commonuit Israëlitas, his verbis: *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Propbeta illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus DEVS vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Hæc monitio ægrotis etiam atque etiam est inculcanda. Sæpe orant, ut sanentur; & quia illis id non prodest, non exaudiuntur: sæpe neque alijs à nobis commemoratis spiritualibus remedijs iuuantur, postquam naturalia omnia in casum adhibuerunt. Imitantur ergo illam insanientis artem, & dicunt:

Virgil. 4.
Æneid.II.
S. Augustin.
lib. 2. de do-
ctrin. Christi-
an. cap. 10.

Flectere si nequeo superos, Acheronta monebo.

Esse tales, & esse superstitiosos, & malè agere, docet egregiè S. Augustinus his verbis: *Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus, ad faciendam, & colendam idola pertinens, vel ad colendam, sicut DEVM, Creaturam, partemue vllam Creatura, vel ad consultationes, & pacta quedam significationum cum demonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina Magicarum artium, qua quidem commemorare potius, quàm docere assolent Poëta. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, Aruspicum & Augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnis etiam ligatura, atque remedia, qua Medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant siue quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas: qua mitiore nomine Physicam vocant, ut non quasi superstitiose implicare, sed naturam prodesse videantur: sicut sunt in aures in summo aurium singularum, aut de struthionum osibus ansula in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dexteram*

MANH